Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

esse. erat omnis seruus. Nam et fi-
lius hominis non venit ut ministra-
retur ei sed ut ministraret: et daret
animam suam redemptionem pro multis
Et venit hiericho et cum egredere-
tur de hiericho et discipulis eius et
plurima multitudine: filius thi-
mei bartimeus cecus sedebat
iuxta viam mendicans Cum cum
audisset. quia iesus nazarenus est
cepit clamare et dicere. Iesu fili
dauid miserere mei et comminaba-
tur illi multi ut taceret. At ille multo
magis clamabat: fili dauid mi-
serere mei Et stans iesus: precepit
illum vocari et vocant ceci dicen-
tes ei. Animequior esto. Surge
vocat te Cui proiecto vestimento
suo. exiliens venit ad eum Et re-
spondens iesus dixit illi Quid
tibi vis faciam. Cecus autem dixit
ei. Rabboni ut videam. Iesus at-
tamen illi. Vade. fides tua te saluum
fecit Et continuo vidit: et seque-
bat eum in via:

Et cum appropinquaret hiero-
solime et bethanie ad mon-
tem olivarum mittit duos
ex discipulis suis: et ait illis Ite
in castellum quod contra vos est: et sta-
tim introeuntes illuc inuenietis
pullum ligatum cui nemo adhuc
hominum sedit. Soluite illum et addu-
cite Si quis vobis dixerit. quid fa-
citis. dicite quia domino necessarius est: et
continuo dimittet huc Et abeun-
tes inuenerunt pullum ligatum ad
ianuam foris in biuio: et soluunt
eum. Et quidam de illic stantibus dice-
bant illis Quid facitis soluentes
pullum Qui dixerunt eis sicut pre-
ceperat illis iesus et dimise-
runt eos Et duxerunt pullum ad iesum
et imposuerunt illi vestimenta sua et
sedit super eum Multi vestimenta sua
straverunt in via alii autem frondes
cedebant de arboribus: et sternebat
in via Et qui ibant et qui sequeba-
tur clamabant dicentes. Osanna be-
nedictus qui venit in nomine domi-
ni benedictum quod venit regnum patris
nostri dauid: osanna in excelsis:
Et introiuit hierosolima in templum
et circumspectis omnibus cum iam vespera
esset hora: exiit in bethaniam cum
duodecim Et alia die cum exiissent a be-
thania esuriit Cumque vidisset alon-
ge ficum habentem folia: venit si quid
forte inueniret in ea et cum venisset
ad eam: nihil inuenit preter folia
Non enim erat tempus ficorum Et
respondens dixit ei Iam non amplius
in eternum ex te quisquam fructum
manducet. Et audiebant discipuli eius
Et venit hierosolima. Et cum intro-
isset in templum cepit eicere vendentes
et ementes in templo et mensas
nummulariorum et cathedras ven-
dentium columbas euertit Et non sine-
bat ut quisquam transferret vas
per templum: et docebat dicens eis
Nonne scriptum est quia domus mea
domus orationis vocabitur omnibus
gentibus. Vos autem fecistis eam spelun-
cam latronum. Cum audisset: principes
sacerdotum et scribe quaerebant quo
eum perderent Timebant enim eum
quoniam omnis turba admirabatur
super doctrina eius Et cum vespera fieret
egrediebatur de ciuitate Et cum
mane transiret: viderunt ficum aridam
factam a radicibus Et recordatus
petrus dixit ei. Rabbi ecce ficus
cui maledixisti arruit Et respon-
dens iesus ait illis. Habete fidem
dei Amen dico vobis: quia quicumque
dixerit huic monti tollere et mit-
tere in mare. et non hesitauerit
in corde suo sed crediderit quodcum-
que dixerit fiat fiet ei. Propterea dico